

1582 *Sarmatas vigente, Pontifici visum fuisse in eas regiones Antonium Possevinum mittere, qui dissidentes componere niteretur; eam in rem cum omni studio incubuisset, tandem optatissimum pacis fructum retulisse, quod Senatui significandum duceret: liberum se in suis ditionibus commercii jus Venetis exhibere; ad oratorem sibi mittendum, qui ea de re, aliisque gravissimis negotiis ageret, invitare. Literis pretiosissimarum pellium, quæ Gibellini vocantur, dona addidit. Stephanus quoque Battoreus per Hieronymum Lippomanum, Reipublicæ apud Cæsarem legatum, suam amicitiam, opes, viresque Reipublicæ detulit: cupere necessitudinis pignus, ab Senatu ad se ordinarium oratorem mitti; ipsum quoque idem erga Rempublicam facturum: quam publica benevolentia ac conjunctionis significatio existimationi utrisque, atque usui ob mutua commercia esse possit, satis constare: ex ea magnum utrorumque rebus præsidium in omni fortuna accessurum. Hisce rationibus, ac Battorei repetitis postulatis permoti Patres, Senatu consulto legationem in Sarmatiam decernunt: Joanni Delphino, Josephi filio, id munus impositum.*

Stephanus Battoreus, Sarmatiae Rex, a Senatu ordinarii oratoris missionem petit.

Joannis Delphini ad Sarmatiam oratoris electio.

Henrici Regis, ob Sarmatiae legationes decretum, perurbatio.

Ea de legatione cum ad Henricum Galliae Regem allatum esset, ob Sarmatiae regni titulos, quos gerebat, haud parum molestiae ac doloris accessit. Licet enim, Carolo fratre vita functo, ex iis regionibus discedere coactus fuisset, adhuc tamen jus, quod sibi vendicaverat, acriter retinebat. Itaque quam ægre id decretum tulisset, Ferrerius legatus exponit. *In avitum regnum reversum, quod sibi naturæ jure debebatur, non illud reliquisse, ad quod inclitæ gentis suffragiis accitus fuerat; non minusque illud sibi, quam quod per majorum manus traditum acceperat, cordi esse; id a natura, hoc a virtute, egregiisque gestis pendere, quorum fama Sarmatæ permoti, decimum atque octavum annum agentem Regem sibi adsciverant. Battoreum non verè legitimique Regis, sed suas veluti vices obeuntis loco habere; Galliae rebus compositis, animum ad Sarmatiam adjecturum: magnum eo Senatusconsulto, quo legatio in Sarmatiam decreta fuerat, sibi præjudicium inferri; neque commercii jura, qualiacumque tandem ea sint, Ferrerius ait, Gallorum amicitiae anteferenda esse: majora ab amplissimo, ac potentissimo regno, atque ab eo, qui*
tunc